

XVI.

Unicam adhuc violentam corruptionis speciem priori associant, ab altero extremonum frigore sc. misto imminentem. Etenim non est impossibile, quin tota res mutetur in frigidum Elementum. v. g. terram, lapides, ferrum, &c. idque propter vehementiam frigidi agentis, constipantis, omnemque calorem extinguentis. Et quamvis hoc ob frigoris in agendo debilitatem sit minus facile, & minus freques, & minus evidens, rationes interim, experientia atque sensus persuadent, ut hoc concedatur. Compertum enim, non in aquis modo aliquibus & fontibus injecta lapidescere, ferrescere, &c. Sed quoque in terra, ubi ligna, virgulta, atque similia degenerant in lapides tam vulgares, quam pretiosos, puta Jaspidem, Achatem, &c.

XVII.

Species ista corruptionem servavit nomen Petrificationis, cum conversio misti in saxa naturâ sit notior vulgatiorque, alioquin mutatio in ferrum dicenda barbarè ferrificatio, & ita cōsequenter. Hunc interitus modum silentii nube involvit. Phil. non ut incognitum, sed à materiae scopo, de qua tractare instituit, alienum.

XIX.

Præter adductos Φεργας modos Argenterius plures commentus est, quos misto existimat gladio, suspendio, morbo, submersione & similibus contingere, verum absque judicio. Iis enim animatum, non mixtum, quam mixtum afficitur.

XIX.

Ceterum cur Putredo naturalis appellatur? Non certe respiciendo ad propriam misti naturam. Cum enim mistum interimat Putrefactio, naturalis non erit. Nulla namque natura sui appetit destructionem. Neg, est naturalis ob materiam corruptibilem, aut quatenus oritur à causâ naturaliter agente: partim, quod h. m. combustio esset naturalis: partim quod materia, sicut ad quasvis formas, sic ad omnes motus indiscriminatim recipiendum proclivis. At neque ratione forme. Nam Putredo misti formæ extremè adversatur. Naturalis ergo dicitur, quia fit juxta naturæ universalis decreta, statuetis certum corruptionis modum, ad quem omnia mista cogantur. Videlicet ut in ea, ex quibus constant, redeant. Id ipsum stabiliter videtur 6. Phys. l. c. 6. Arist: ubi Generationem & corruptionem distin-

mentum